inuicem talia tractant. nesciuit in cano-
nibus esse prohibitum. ne aliqui de locis suis
commigrantes alijs facile ordinentur
in locis. Erat vero meum diaconus quidam nomine
iohannes. cui merito testimonium quod isti
michi dederunt potest aptari. et vicin-
orum indigena locorum. Hunc diuino proce-
dens electum iudicio. vero officio promouendum.
24 Cumque hac attestacione vir sanctissimus
in iohanne cunctorum conciliaret
amorem. neque enim aliud de illo credere
poterant quam quod vir deo carus asseruit.
Dux diaconum venire fecit in medium.
Tu es inquiens iohannes diaconus. Et
respondit. Ego plane. Vnde ait ducis
progenie generis. Et dixit. In recia cur-
iensi mediocri natalium sum procreatus.
Dux vero ad illum. Potes ne inquit ponti-
ficalis infule pondus subire. Tunc vener-
abilis gallus se consilio responsurum promisit.
Et dum hec mutuo sermonum commercio
pertractarent. subtraxit se diaconus. et
fugiens latibulum quesiuit in ecclesia
sancti stephani martiris que est extra oppidum.
Secuti sunt autem sacerdotes cum plebe.
et apprehensum lacrimis perfusum felicibus
licet renitente in presencia pontificum
pertraxerunt et ducis. Et leuauerunt omnes
Electio. pariter voce dicentes. Iohannem elegit
sibi dominus pontificem hodie. Et respondit
omnis populus amen. Episcopi itaque duxerunt eum
ad altare. et sollempni benedictionis
officio ordinauerunt antistitem. Consumato
quoque sacre promocionis ministerio. roga-
uerunt eum sacrificij salutaris celebrare
misteria. Premissis ergo ex more diui-
ne libacionis initijs. post lectionem
euangelij rogauere venerabilem
gallum ut multitudini que aderat verbi
officio sacre instructionis pabula mi-
nistraret. Qui assumpto iohanne episcopo
gradum ascendit. eo videlicet pacto. ut
ipse quidem edificacionis instrumenta
colligeret. episcopus vero ad utilitatem barbarorum
bene prolata interpretando transfunderet.
Cepit igitur verbum facere de inicio crea-
turarum. et ade primi pro quo depulsus est
paradiso commemorare. Transiens inde
ad diluuium patriarcharum consequenter
tempora perstrinxit et actus. Egressum quoque
filiorum israhel de egipto. et transitum
per mare rubrum. legis collacionem per moysen.
et celestis alimenti miracula replicauit.
Regum deinde successiones. et tempora
prophetarum breuiter attingens. aduentus
dominici tempus retexuit. Baptismum
etiam saluatoris et mirabilium eius gloriam
commemorans. crucis ignominiam cum impijs
insectacionum generibus veraci relacione
subiunxit. Hec audientes ecclesie pastores.
cum populi multitudine lacrimas fuderunt
vberrimas. et ad inuicem dixerunt. Vere
spiritus sanctus locutus est hodie per os viri istius. Ille
vero predicationem perduxit usque ad resurrec-
tionem christi. et in commemoratione generalis
iudicij terminauit. Omnes ergo qui aderant
alacri mentis exultacione repleti benedi-
cebant dominum. et ad sua cum gaudio remeabant.
Doctor itaque venerabilis manens aput
iohannem episcopum septem diebus. inter multa
salutifere consolacionis verba hec sepius
inculcauit. Quem deus elegit homo non
despiciet. sed erit omnium veneratione
sublimis. que diuinum commendat iudicium.
Deinde accepta ab eo benedictione. reuersus
est ad cellulam suam. Episcopus autem iussit hijs qui
rebus episcopij preerant. ut ad virum dei cum
sibi subiectis venirent. et eius obtemperarent
iussioni. Post hec tanto studio caritas
mutua seruabatur vtrimque. ut spiritualis
glutino clientele sibi semper coherentes.
solo corpore viderentur diuisi. Magister
paterna sollicitudine preceptis et consilio
salutari mathiten refouebat. ille vero ·/· discipulum
paterno honore et omni necessitatum
subsidio didascalum subleuabat. Sicque ·/· preceptore
sacra piorum societas aucto crescebat hon-
ore. et multiplicato commendabatur amore.
26 Tempore subsequenti cepit virtutum
cultor eximius oratorium construere.
mansiunculis per girum dispositis ad comma-
nendum fratribus. quorum iam duodecim
monastica sanctitate propositi roboratos do-
ctrina et exemplis ad eternorum desideria
concitauit. Quadam itaque die dum post
laborem matutinalis officij quiescendi
gracia lectos suos reuisserent. primo
diluculo vir dei vocauit magnoaldum
diaconum suum dicens illi. Instrue sacre
oblacionis ministerium. ut possim diuina
sine dilacione celebrare misteria. Et
ille. Num inquit tu pater missam celebrabis.
Dixit ergo ad illum. Post huius vigilias

Licenza: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. 9r – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/it/vad/0070/9r)